

# De natura inspirationis S. Scripturae [Fortsetzung]

Autor(en): **Jácome, Innocentius M.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **3 (1916)**

PDF erstellt am: **08.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762785>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Naturwissenschaften keineswegs im Gegensatz zur peripatetischen Philosophie stehen und sich sehr wohl nach aristotelischen Grundsätzen verarbeiten lassen. Die wahre Philosophie kann mit diesen Ergebnissen gar nicht in Widerspruch kommen, wohl aber geht die philosophische Erklärung über die naturwissenschaftliche Erklärung hinaus, da diese die Erscheinungen nur aus den nächsten Ursachen betrachtet, während die Philosophie auf die letzten Gründe zurückgeht.

---

## DE NATURA INSPIRATIONIS S. SCRIPTURAE

Scripsit FR. INNOCENTIUS M. IÁCOME O. P.

(Sequitur vol. II, p. 308—354)

### ALTERA PARS

Notio causae principalis et instrumentalis secundum S. Thomam

39. Prologus. — Universa divi Thomae doctrina iure cum perfecto quodam comparatur corpore, cuius partes minime inter se dissident. Quemadmodum autem in corpore quaedam membra aliis dignitate maxime praestant eisque reliqua subiiciuntur, sic in doctrina Angelici Doctoris quaedam veritates et caeteris antecellunt et alias plures continent: huiusmodi est ratio causae principalis et instrumentalis. De hac vero sola et peculiari modo nusquam Sanctus Doctor disserit, sed ab eadem, ut a notione omnibus cognita, sumit argumenta, eaque adhibita, nonnullas quaestiones copiose explicat. Porro in illis locis, in quibus causa principali et instrumentali utitur, de hac tam multa clare docet ut exiguo labore quisque omnem disciplinam huius quaestionis colligere queat. Cum de Sacramentis loquitur, praesertim plura de agente principali et instrumento tractat; similiter in disputatione de unitate duplicis actionis Christi et in rerum creatione per instrumenta.

#### I. De his quae ad doctrinam causae principalis et instrumentalis revocantur

40. Humanitas Christi. — Instrumentum, quod longe omnibus unum anteferre oportet, est Christi humanitas, divinitatis instrumentum; itaque cum Christus leprosum sanavit, hominesque ex mortuis excitavit, humanitas eius talia prodigia instrumentaliter faciebat, virtute, quam cum

ea agens principale, divinitas videlicet, communicabat<sup>1</sup>. Resurrectio Christi aequae est nostrae resurrectionis causa instrumentalis, divinitati obtemperans<sup>2</sup>.

41. *Sacramenta.* — Omnium Theologiae quaestionum, quae ad causam principalem et instrumentalem referuntur, utilissima est illa Sacramentorum, quibus generi hominum Deus gratiam largitur<sup>3</sup>. Iam vero in Sacramentis Deus solus est agens principale, quia ipse et nemo alius, virtute propriae formae, rem potest supra totam naturam positam conficere, cuiusmodi est divinae particeps naturae gratia<sup>4</sup>. Sed instrumenta sunt plura. Primum quidem humanitas Christi, quae instrumentum est coniunctum<sup>5</sup>. Deinde minister, qui habet per characterem instrumentalem potestatem ad Sacramenta administranda<sup>6</sup> atque fit instrumentum in actu cum pulsu movetur agentis principalis<sup>7</sup>. Postremo sacramentum ipsum, quod ex materia et forma constat<sup>8</sup>.

42. *Omnes res creatae sunt Dei instrumenta.* — Primo quidem ipsi angeli, quorum opera Deus utitur ad id conficiendum, quod est secundum naturam vel supra, ut in miraculis accidit, quae adiutorio instrumentali angelorum efficiuntur<sup>9</sup>, atque in rerum corpore praeditarum ordine, ad quem conservandum angeli mandata divinae providentiae exequuntur<sup>10</sup>.

Sed homo etiam est instrumentum Dei. Etenim sive ea quae sunt ad gratiam accommodata, sive quae ad naturam, homo impulsu Dei agit. Sic enim evenit in rebus quae ex gratia gratis data gignuntur, ut cum homo instrumentaliter facit miracula<sup>11</sup>, vel prophetias fundit<sup>12</sup>. Idem censendum est de iis quae ex gratia gratum faciente proficiscuntur; quapropter ad ultimum adipiscendum humanae vitae finem, homo indiget Dei motionis tamquam agentis principalis<sup>13</sup>, sicut et ad opera vitae aeternae digna efficienda. „Divinum auxilium sic intelligitur ad bene agendum homini adhiberi, quod in nobis nostra opera operatur, sicut... agens principale operatur actionem instrumenti<sup>14</sup>.“ Ea quoque

<sup>1</sup> III, Q. 13, a. 2 et 3; Q. 19, a. 1. — <sup>2</sup> III, Q. 56, a. 1, ad 3. — <sup>3</sup> III, Q. 62. — <sup>4</sup> I, II, Q. 112, a. 1; III, Q. 62, a. 1; Q. 64, a. 1. — <sup>5</sup> III, Q. 62, a. 5. — <sup>6</sup> III, Q. 63, a. 2. — <sup>7</sup> III, Q. 64, a. 1. — <sup>8</sup> III, Q. 62, a. 3 et 4; Q. 64, a. 1 ad 3. — <sup>9</sup> Q. D. De Potentia, Q. 6, a. 4. — <sup>10</sup> Sum. c. Gent. Lib. 3, c. 79. — <sup>11</sup> De Potentia, loc. com.; II, II, Q. 178, a. 1; III, Q. 13, a. 2 ad 3. — <sup>12</sup> II, II, Q. 173, a. 4. — <sup>13</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 147. — <sup>14</sup> Ibid. c. 148; I, II, Q. 21, a. 4 ad 2.

quae vim non superant naturae, anima, intellectus et voluntas non possunt sine motione Dei conficere, seu verbis D. Thomae, „anima nostra operatur sub Deo sicut agens instrumentale sub principali agente<sup>1</sup>“: „sub Deo autem, qui est primus intellectus et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates, sicut instrumenta sub principali agente<sup>2</sup>“.

Similiter in rebus et naturalibus et supra naturam positis, natura vita carens est Dei ministra. Haec enim, divinitus instrumentaliter mota, corpora mortua ad pristinum valet restituere statum<sup>3</sup>; atque ignis purgatorii est „instrumentum divinae iustitiae peccata vindicantis<sup>4</sup>“. In eo vero quod rerum virtuti congruit, „tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale<sup>5</sup>“.

Denique S. Thomas hanc veritatem in uno latissimo concludit principio, amplectente quamcumque actionem cuiusvis rei, quae non sit Deus: omnis actio est a Deo tamquam ab agente principali. Quae summa et praeclara doctrina atque tam pervulgata, ut iam proverbii locum obtinuerit, ab ipso S. Doctore exponitur hoc pacto: „Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti: et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis.“ Et: „Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis<sup>6</sup>.“

43. Agentia principalia et instrumentalia in homine. — Non solum Deus est agens principale, sed secundum S. Thomam, ea ex quibus homo constat, inter se connectuntur sicut agens instrumentale cum principali. Qua ratione corpus est animae instrumentum<sup>7</sup>. „Potentiae animae comparantur ad essentiam eius ut agens instrumentale ad principale<sup>8</sup>.“ Cum vero homo aliquid mente percipit, seu „in receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatis, se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium; intellectus vero agens ut agens principale et primum<sup>9</sup>“; aequè illud quod verbum mentis

<sup>1</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 149. — <sup>2</sup> Ibid. c. 147. — <sup>3</sup> Ibid. Lib. IV, c. 81. — <sup>4</sup> Suppl. III, Q. 70, a. 3. — <sup>5</sup> I, II, Q. 1, a. 2. — <sup>6</sup> Q. D. De Potentia, Q. 3, a. 7; cf. I, Q. 105, a. 5; Sum. c. Gent. Lib. III, c. 67. — <sup>7</sup> Sum. c. Gent. Lib. IV, c. 79; Q. D. De Anima. a. 3. Sed contra. — <sup>8</sup> Q. D. De Spir. creat. a. 11. Sed contra. — <sup>9</sup> Q. D. De Veritate, Q. 10, a. 6, ad 7.

appellamus, est instrumentum, quo notiones rerum animus percipit<sup>1</sup>. In eo autem quod ad inferiorem partem attinet, „Ratio . . . utitur appetitu sensitivo ut instrumento, sicut et membris corporis<sup>2</sup>“; potentiae exequentes „comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens<sup>3</sup>“. Calor denique naturalis est animae instrumentum in generando carnem<sup>4</sup>.

44. Alia quae causa principali et instrumentali continentur. — Opinione S. Thomae, „omnes formae accidentales agunt instrumentaliter in virtute formae substantialis, tamquam principalis agentis<sup>5</sup>“. Corpus coeleste sic agenti superiori rationis participi obsecundat, ut instrumentum agenti principali<sup>6</sup>; at quia formae et motus inferiorum corporum ex pulsu oriuntur corporis coelestis, propterea huiusmodi formae et motus proficiscuntur a substantiis spiritualibus velut ab agente principali, a corpore vero coelesti tamquam ab instrumento<sup>7</sup>. Aer quoque est instrumentum, quod in visum colorem a re colorata immittit<sup>8</sup>. Atque in Adami tentatione „diabolus erat sicut principale agens, sed mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis<sup>9</sup>“. Item: „peccatum originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali . . . in semine autem corporali sicut in causa instrumentali<sup>10</sup>“. Qui vero sibi suffragia fieri praecipit, est agens principale, instrumentum autem qui ea exsequitur<sup>11</sup>. Philosopho Thomas assentitur cum dicit servum esse sicut instrumentum animatum<sup>12</sup>. Tria denique vota religionis sunt perfectionis instrumenta<sup>13</sup>. Ex his quidem apparet S. Thomam non intelligere semper instrumentum tamquam physicum, sed nunquam etiam illud, quod morale nominatur, ut in postremo loco videre licet.

45. Conclusio — In operibus igitur S. Thomae multae et graves quaestiones ad notionem causae principalis et instrumentalis revocantur, in quo numero etiam Sacrarum Litterarum inspiratio, ut supra diximus<sup>14</sup>, reponitur.

<sup>1</sup> Quaest. Quodlib., Q. 5, a. 9, ad 1. — <sup>2</sup> II, II, Q. 123, a. 8, ad 2. — <sup>3</sup> I, II, Q. 16, a. 1. — <sup>4</sup> Q. D. De Potentia, Q. 3, a. 4; Q. 6, a. 3 et alibi. — <sup>5</sup> III, Q. 77, a. 3, obiect. 2, et ad 3. — <sup>6</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 23; Q. D. De Potentia, Q. 5, a. 5; Q. 6, a. 3. — <sup>7</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 24. — <sup>8</sup> Q. D. De Veritate, Q. 27, a. 4, ad 4. — <sup>9</sup> II, II, Q. 65, a. 2, ad 1. — <sup>10</sup> I, II, Q. 83, a. 1. — <sup>11</sup> Suppl. III, Q. 71, a. 3. — <sup>12</sup> III, Q. 18, a. 1, ad 2 et alibi. — <sup>13</sup> II, II, Q. 188, a. 7, ad 1. — <sup>14</sup> Cf. nr. 36.

## II. Notio agentis principalis et instrumenti

46. Causa principalis et instrumentalis sunt efficientes. — Quatuor enim sunt genera causarum: materialis, formalis, efficiens et finalis. Causae vero efficientis proprium est gignere effectum. Sed „operari aliquem effectum contingit dupliciter: uno modo per modum principalis agentis, alio modo per modum instrumenti<sup>1</sup>“. Ergo causa principalis et instrumentalis sunt efficientes.

47. Definitio causae principalis. — Hoc modo S. Thomas istam causam describit: „operatur per virtutem suae formae<sup>2</sup>“. Ut vero clare cernatur quam vim haec definitio habeat, nonnulla sunt memoria repetenda. In descriptione enim causae principalis sunt duo: actio primum, deinde forma, quarum coniunctionem habere debemus, ut recte definitionem mente comprehendamus. Et primo quidem actionis, quam a capite repetamus. Duplex igitur est ordo: essendi scilicet atque operandi; superior vero est fundamentum posterioris, quia „unumquodque agit, in quantum est ens actu<sup>3</sup>“; hinc etiam illud decantatum proverbium „operatio sequitur esse“. Actionis autem principium est triplex: finis, agens et forma, idque S. Thomas exponit hoc pacto: „finis et agens et forma se habent ut actionis principium, sed ordine quodam. Nam primum quidem principium actionis est finis, qui movet agentem; secundo vero, agens; tertio autem forma eius, quod ab agente applicatur ad agendum<sup>4</sup>“. Cum denique agens, reliquis instructum rebus, quarum ad agendum indiget, positum est in actu secundo, tunc adest actio, quam sic definit S. Thomas: „origo ipsius motus secundum quod incipit ab alio et terminatur in id quod movetur<sup>5</sup>“. Forma ergo, quam quaerimus, est in numero principiorum actionis habita.

Sed iam ut ad formam veniamus, dupliciter ea intelligi potest: est enim aut pars essentialis, quae cum materia coniuncta constituit aliquam rem, atque hoc modo est principium essendi; aut forma ad actionem dirigitur, sicque est principium operandi, atque latius patet quam forma, quae cum materia copulatur. Definitur enim „actionis principium“ vel „motus principium“; unde, „illud quo primo aliquid

<sup>1</sup> III, Q. 64, a. 1. — <sup>2</sup> III, Q. 62, a. 1; cf. I, Q. 18, a. 3; Q. D. De Veritate, Q. 27, a. 4. — <sup>3</sup> III, Q. 77, a. 3. — <sup>4</sup> I, Q. 105, a. 5. — <sup>5</sup> I, Q. 41, a. 1, ad 2.

operatur, est forma eius<sup>1</sup>. Forma autem, sive ordinis essendi sive operandi, est duplex: substantialis nempe atque accidentalis<sup>2</sup>. Substantialis illa dicitur, quae cum subiecto conglutinata, constituit esse substantiale; accidentalis autem, quae post advenit quam fuerit esse constitutum. In agendo vero forma substantialis est principium remotum seu quod, alio interiecto, agit, accidentali vero nullum interponitur; ut cum homo aliquid intelligit, anima est principium remotum, intelligentia autem principium illud, quod sine alterius interpositione rem perspicit. Forma denique accidentalis, una ex quinque universalium numero, potest esse aut propria aut vere accidentalis<sup>3</sup>. Prima ita est proprietas essentiae, ut si haec re sit, adsit quoque illa. Altera vero alicui naturae accedit tamquam illud quod ad essentiam non pertinet, sed tamen in ea inhaeret ad modum naturae completae<sup>4</sup>.

Iam vero in agentis principalis definitione, nomine formae non haec tantum intelligi debet, quae coniungitur cum materia, sed ea etiam quae est actionis principium, ac distribuitur in formam substantialem, in propriam et in vere accidentalem. Huius igitur generis forma agens principale instructum potest actionem conficere. Ex quo intelligitur definitionem agentis principalis ex illo desumi, quod est maxime intimum rei constituitque agentis essentiam, cuiusmodi est forma substantialis; idemque fit cum formae sunt eae, quas diximus proprias ac vere accidentales: hae enim suas habent radices in ipsa rei essentia, quam ob causam dicit S. Thomas: „hoc ipsum, quod forma accidentalis est actionis principium, habet a forma substantiali; et ideo forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum<sup>5</sup>“. Illud ergo unum quod habet intimum operationis principium atque istud est eius proprium, iure nomine agentis principalis est dignum.

48. Causa instrumentalis definitur. — Ea est „quae non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente<sup>6</sup>“. Haec autem definitio duplicem amplectitur partem, quarum altera declarat quid non sit de instrumenti notione, altera vero quid eiusdem ratio postulet. In primo igitur membro instrumentum

<sup>1</sup> Cf. I, Q. 18, a. 3; Q. 76, a. 1; Q. 105, a. 5. — <sup>2</sup> Cf. III, Q. 77, a. 3, ad 2. — <sup>3</sup> I, Q. 77, a. 1, ad 5. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>5</sup> I, Q. 77, a. 1, ad 4. — <sup>6</sup> III, Q. 62, a. 1.

affirmatur non habere causae principalis naturam, eoque instrumentum per se et propter se non agere per suam propriam formam substantialem, vel essentiam, vel formam accidentalem. Quare S. Thomas ait: „aliquid operatur ad effectum aliquem instrumentaliter, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhaerentem<sup>1</sup>“. Sed in altera definitionis parte principium actionis instrumenti significatur; quod, cum non sit aliquid ei proprium, est motus principalis agentis. Ratio ergo tota instrumenti in hoc est sita, quod ab agente principali moveatur. Itaque S. Thomas saepe dicit: „ratio instrumenti consistit in hoc quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat<sup>2</sup>“. „Est ratio instrumenti quod sit movens motum<sup>3</sup>“. „Proprium est instrumenti quod moveatur a principali agenti<sup>4</sup>“. „Ob eamque rem instrumentum nunquam adhibetur ad causandum aliquid nisi per viam motus<sup>5</sup>“. „Secundum philosophos, quod movet motum, movet ut instrumentum<sup>6</sup>“.

49. *Species instrumentorum.* — Liceat hic aliqua instrumentorum genera cum S. Thoma describere. Quorum aliud est coniunctum, aliud separatum. Illud cum agente principali sic connectitur ut pars, quae ad eius essentiam pertineat, vel sit ad integram naturam necessaria. Separatum vero non est de agentis principalis natura. In agendo autem alterum alteri subditur, seu „per instrumentum coniunctum, ut S. Thomas ait, movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum<sup>7</sup>“. Hac divisione Doctor Angelicus praecipue utitur in Sacramentorum disputatione, in quibus humanitas Christi est instrumentum divinitati coniunctum, et sacramenta instrumenta separata, quae Christi humanitas adhibet ad conferendam gratiam.

Alia instrumenti partitio est in inanimatum et animatum. Quorum unum id est „quod nullo modo agit, sed solum agitur“; alterum autem, „quod ita agitur quod etiam agit<sup>8</sup>“. Animans vero denuo dividitur in rationale, ministrum etiam appellatum, et sensibile; nam instrumentum anima praeditum aut est particeps aut expers rationis. Aliter autem huiusmodi instrumenta incitantur a principali agente;

<sup>1</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>2</sup> III, Q. 63, a. 5, ad 2. — <sup>3</sup> Sum. c. Gent. Lib. II, c. 21. — <sup>4</sup> III, Q. 18, a. 1, ad 2. — <sup>5</sup> Sum. c. Gent. loc. com. — <sup>6</sup> Q. D. De Potent., Q. 5, a. 5. — <sup>7</sup> III, Q. 62, a. 5. — <sup>8</sup> III, Q. 7, a. 1, ad 3.



inanimatum enim movetur unice corporum motu; sensibile, appetitu sensuum, ac rationale, voluntate<sup>1</sup>.

50. Plura instrumenta ad eundem effectum. — Perspicuum est plura posse instrumenta ad unum opus efficiendum confluere, cum multa in mundo hoc modo facere videamus; idque nec plurimum a divinis dissidet rebus, ut apparet ex Sacramentis. Quando vero plura sunt instrumenta, omnia sunt „quodam ordine unum<sup>2</sup>“, atque eorum aliquod potest supra caetera habere „quamdam principalitatem et causalitatem“, ut in Sacramentis humanitas Christi reliqua praestat instrumenta<sup>3</sup>.

### III. De instrumenti dispositione

51. Quaedam instrumenti conditiones. — De conditionibus atque de duabus quasi partibus instrumenti pauca prius dicamus, quam dispositionem aggrediamur exponere. Instrumentum igitur debet esse certum, nam postulat „omnis motor determinata instrumenta<sup>4</sup>“. Si vero cum agenti principali instrumentum conferatur, id sedulo est animadvertendum quod „agens principale et instrumentale non sunt unum<sup>5</sup>“; item quod „nec inconveniens est si instrumentum sit imperfectius principali agente, ut martellus fabro<sup>6</sup>“.

52. Duplex instrumenti ratio. — Instrumentum dupliciter potest considerari: primum ut est res quaedam, et tunc omne illud ei convenit quod caeteris rebus; angustius deinde, quatenus instrumentum, ut excitatur videlicet ab agente ad aliquid perficiendum<sup>7</sup>. Qua re „instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad effectum<sup>8</sup>“. Ad solam autem instrumenti rationem, parvi refert quidquid sit in instrumento, praeter illud quo re vera instrumentum aliquod nominatur; sed tota instrumenti natura in illo est sita, quo agens principale utitur; ut in serra ratio instrumentalis est acuitas, at ferreae num argentea sit, nihil est ullam in partem, quod intersit. Haec quidem sunt S. Thomae: „et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel

<sup>1</sup> III, Q. 18, a. 1, ad 2. — <sup>2</sup> III, Q. 62, a. 4, ad 3. — <sup>3</sup> III, Q. 64, a. 3. — <sup>4</sup> Q. D. De Anima, a. 3. Sed contra 2. — <sup>5</sup> Q. D. De Spirit. creat., a. 12. Sed contra 5. — <sup>6</sup> II, II, Q. 123, a. 10, ad 2. — <sup>7</sup> III, Q. 19, a. 1, ad 2. — <sup>8</sup> III, Q. 72, a. 3, ad 2.

virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti<sup>1</sup>.

53. Necessee est instrumentum esse dispositum. — Etenim illud oportet „ut sit medium inter causam primam et causatum et attingat utrumque<sup>2</sup>“; tangit vero agens principale cum se ad serviendum offert; causatum autem, impulsionem agentis deferendo. Atqui hoc facere instrumentum non posset quin fuerit in eo quaedam dispositio, qua et ad agens et ad causatum accommodetur. Ergo opus est instrumentum ad agendum esse apte paratum. Id saepe S. Doctor praecipit, verbi gratia: „manifestum est quod omne quod movetur, necessee est proportionatum esse motori<sup>3</sup>“. „Quia vero corpus est animae instrumentum, instrumentum autem est ad usum principalis agentis, necessee est quod talis sit dispositio instrumenti ut competat principali agenti<sup>4</sup>.“ Ut instrumentum praeterea queat perfecte agere, debet omnino esse dispositione, quae suo officio conveniat, instructum. Sic S. Thomas: „non sequitur perfecta actio alicuius agentis per instrumentum, si instrumentum non sit bene dispositum, quantumcumque principale agens sit perfectum<sup>5</sup>“.

Natura autem huius dispositionis ex eisdem locis sumitur, ex quibus necessitatem modo hauriebamus, ex agente nempe principali et ex ipsa re conficienda. Natura igitur dispositionis, de qua dicimus, maxime pendet ex convenientia cum motu principalis agentis; in hoc est enim tota instrumenti ratio, quod ab agente principali moveatur. Ob eamque rem, „bona dispositio, ait S. Thomas, potentiae moventis motae attenditur secundum conformitatem ad potentiam moventem<sup>6</sup>“. Vis insuper dispositionis eruitur ex effectu comparando, eo quod ad huius rationem debet instrumentum accommodari. Ita S. Doctor: „quia vero instrumentum non propter se quaeritur, sed propter finem, non tanto aliquid fit melius quanto maius est instrumentum, sed quanto est magis fini proportionatum<sup>7</sup>“.

#### IV. De motu principalis agentis

54. De natura formae agentis principalis. — De hac forma ob eam rem hoc loco disserere debemus,

<sup>1</sup> III, Q. 64, a. 5. — <sup>2</sup> Sum. c. Gent. Lib. II, c. 21. — <sup>3</sup> I, II, Q. 68, a. 1. — <sup>4</sup> Sum. c. Gent. Lib. IV, c. 73. — <sup>5</sup> I, II, Qu. 58, a. 3, ad 2. — <sup>6</sup> I, II, Q. 56, a. 4. — <sup>7</sup> II, II, Q. 188, a. 7, ad 1.

quod illa est principium motus principalis agentis. Hoc enim dicitur per se agere, seu ope naturalis ac propriae formae. Qualis vero sit ea forma a Doctore Angelico ita declaratur: „virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura<sup>1</sup>“. Item: „agens principale agit secundum exigentiam suae formae, et ideo virtus activa in ipso est aliqua forma vel qualitas habens completum esse in natura<sup>2</sup>“. Ergo sic est forma agentis principalis nata ut habeat stabile expletumque esse in natura. Ad hanc autem rationem id etiam adiungitur quod eadem „est in subiecto secundum conditionem subiecti<sup>3</sup>“.

55. *Conditiones motus principalis agentis.* — Ad iumento formae, de qua modo dictum est, agens principale aliquam rem efficit, non autem ipsum solum sed per instrumentum quod movet; ex hoc itaque efficitur motum primo cadere in instrumentum. Motio nihilominus agentis principalis antecedit instrumenti motum. Nam „motio moventis praecedit motum mobilis, ratione et causa<sup>4</sup>“. Sed in potestate agentis principalis non est movere instrumentum, nisi cum eo iungatur. Quod quidem est tertia motus agentis conditio, a Thoma Aquinate hoc pacto significata: „instrumentum non movetur ab artifice nisi per contactum aut per aliquam aliam unionem<sup>5</sup>“.

56. *Agens principale instrumento omnes motus impertitur.* — Haec vero doctrina ita late patet ut nullus prorsus sit instrumenti motus, qui ab agente principali non proficiscatur. Instrumentum tamen hoc in loco proprie quatenus instrumentum sumi debet; id nempe cuius causa quidquam ad agendum assumitur, et movetur per agens principale; reliqua autem non sunt de instrumenti notione, eoque possunt aliunde moveri. Sic, ut exemplum afferamus, quando humanitas Christi, divinitate mota instrumentaliter, leprosum sanabat, ex altera parte id fiebat quod anima eius visione Dei beata fruebatur. Nunc vero doctrina proposita est confirmanda. Et primo quidem propterea quod instrumenti motionem ab ipso vel a principali agente necessarium est nasci. Atqui non ab instrumento; quoniam, etsi instrumentum sit quodam modo actionis

<sup>1</sup> III, Q. 62, a. 4. — <sup>2</sup> Comm. in IV, Sent. Dist. I, Q. 1, a. 4. (Ad 2<sup>am</sup> quaest.) Cf. Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>3</sup> III, Q. 63, a. 5, ad. 1. — <sup>4</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 149. — <sup>5</sup> I, II, Q. 68, a. 4, ad 3.

principium, nihilominus non est in sua potestate agere vel non; hoc enim S. Thomas de instrumento dicit: „quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere vel non agere<sup>1</sup>“. Ergo eius motus et actus ex agente principali manant. Deinde istud comprobatur quoque natura ipsa instrumenti. Nam esse per agens principale excitatum ita est de instrumenti ratione, ut hoc ad intimam eius naturam pertineat, atque ex eo sua definitio constet: instrumentum est enim quod agit „per motum quo movetur a principali agente<sup>2</sup>“. Quae sane est doctrina S. Thomae, apud quem saepe haec oratio usurpata est: „instrumentum non operatur nisi in quantum est motum a principali agente<sup>3</sup>“.

57. Quantum motus agentis durat. — Pulsus principalis agentis necessario debet semper manere dum instrumentum agit. Nec punctum itaque temporis intelligi potest, ab initio usque ad finem actionis instrumenti, in quo motus agentis principalis non defluat in instrumentum. Ratio est quia „statim quando movens cessat movere, et mobile cessat moveri<sup>4</sup>“. Si igitur motus agentis habeat finem, in actione instrumentum minime poterit perseverare.

#### V. De actione instrumenti propria

58. Ratio rerum quas tractabimus. — Instrumentum, postquam motum agentis principalis recipit, duplicem habet rationem. Etenim aut suscipit motum agentis, aut vi eiusdem impulsionis influit iam in rem perficiendam. Cum vero est in uno statu, nominari potest effectus; in alio autem, causa. Sanctus Thomas enim dicit de instrumento: „non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, in quantum movetur a principali agente<sup>5</sup>“. Nunc igitur est inquirendum quid sit in instrumento, pulsu agentis principalis, auctum, eo statu quo tamquam effectus censetur. Quia vero actio instrumenti est duplex, propria nempe et instrumentalis, separatim investigandum est quid sit adiectum in utraque actione.

59. De actionis propriae notione. — Propria instrumenti actio illa est „quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione-

<sup>1</sup> II, II, Q. 23, a. 2. — <sup>2</sup> Cf. nr. 48. — <sup>3</sup> III, Q. 62, a. 4. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4, ad 10. — <sup>5</sup> III, Q. 62, a. 1, ad 1.

suae acuitatis<sup>1</sup>. Propterea optime dici potest: „instrumentum respectu actionis propriae habet rationem causae principalis, cum illam eliciat vi suae formae et propria virtute<sup>2</sup>“. Actioni igitur propriae ea omnia sunt attribuenda, quae supra de agente principali et eius forma statuimus<sup>3</sup>. Talis autem instrumenti actio ab ea differt, quae oritur a forma agente per se ac non ad modum instrumenti, in hoc quod opus est illam poni in actu secundo ab agente principali, ut infra dicitur.

60. Actio propria necessario est instrumento concedenda. — Scoto placet actionem propriam instrumento eripere<sup>4</sup>. Sed S. Thomas contrariam tenet sententiam, ad quam efficiendam duplicem affert rationem. Quarum haec est prima: „si enim nihil ibi (instrumentum) ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum“. Altera vero: „nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum<sup>5</sup>“. Merito igitur Caietanus: „ratio instrumenti, ait, non nisi in propria virtute activa salvari potest, sicut ratio hominis in talibus carnibus et ossibus<sup>6</sup>“.

61. Actio propria antecedit actioni instrumentali. — Pater Ed. Hugon: „haec actio, ait, propria debet saltem virtualiter praevia esse actioni agentis principalis, quamvis illam tempore non praecedat<sup>7</sup>“. Et haec quidem est omnino doctrina Thomae Aquinatis. Ipse enim dicit instrumentum, actionem exercendo propriam, efficere quoque instrumentalem<sup>8</sup>. Propriam autem actionem exercere cogitatione prius est quam instrumentalem efficere. Item operatum proprium, ut paullo post declarabimus, praedit instrumentali operato, idcirco etiam actio propria, instrumentali actioni, cum hae sint operatorum causae.

62. Agens principale ponit in actu secundo instrumentum, ut propriam efficiat actionem. — Aliquid ut possit agere non solum cuiusdam indiget formae, verum etiam ad faciendum debet necessario incitari,

<sup>1</sup> III, Q. 62, a. 1, ad 2; cf., Q. 19, a. 1; Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4; Comm. in IV, Sent. Dist. 1, Q. 1, a. 4. — <sup>2</sup> P. Ed. Hugon, O. P., Cursus Philosophiae thomisticae. Vol. VI, Metaphysica, p. 178 (XVI, 11). — <sup>3</sup> N<sup>ris.</sup> 47 et 54. — <sup>4</sup> Caietanus in Comm. S. Th. I, Q. 45, a. 5. (In editione iussu Leonis XIII, XIII). — <sup>5</sup> I, Q. 45, a. 5. — <sup>6</sup> Loc. com. — <sup>7</sup> Loc. com., p. 177 (XVI, 8). — <sup>8</sup> Suppl. III, Q. 70, a. 3.

idque profecto fieri oportet a quodam agente in actu. Cum vero quidpiam est propria praeditum forma et actu secundo paratum, tum opus conficere potest, vel tamquam agens principale, vel sicut instrumentum. Huiusmodi autem instrumentum non propria vacabit actione, quae manare deberet a forma naturali. Talis autem actio non est omnino eiusdem generis illius, quam agens principale efficit, quia actio instrumenti, quamquam propria, est tamen sub principalis agentis impulsu, et ad finem dirigitur ab eodem agente propositum. Cum exemplo quodam rem placet illustrare, atque hoc sit humanitas Christi. Planum est Iesum potuisse leprosum tangere, tamquam signum commiserationis praebendo, actioque huiusmodi sine dubio egrederetur e forma propria, et in actu secundo constitueretur eadem causa, qua caeterae eius actiones humanae constituuntur; est ergo ea actio propria agentis principalis. Sed cum leprosum ideo instrumentaliter tetigit ut eum sanaret, tum a propria quidem forma actio orta est; sed longe haec abest ab illa superiori agentis principalis. Differentia vero est in hoc nimirum quod principale agens non consequitur actum secundum velut instrumentum, quod ad propriam quoque actionem efficiendam impulsu agentis principalis ponitur in actu secundo instrumentali. Sin minus actio instrumenti propria non differret ab actione propria agentis principalis. Praeterea doctrina exposita optime et instrumenti notioni quadrat, eo quod de ratione instrumenti sit agere tantum per agens principale motum; et conclusioni quoque modo explicatae, id est: „agens principale instrumento omnes motus impertitur“. Et haec quidem videtur esse S. Thomae sententia. Nam cum saepe loquitur de modo quo actio propria instrumenti agenti principali subiicitur, hoc dicit propria uti instrumenti actione; hunc locum, exempli causa, afferamus: „operatio igitur quae est alicuius rei secundum suam formam, est propria eius, nec pertinet ad moventem nisi secundum quod utitur huiusmodi re ad suam operationem“. Postea etiam: „et movens utatur operatione moti“. Similiter cum disserit de natura divina et humana: „et tamen divina natura utitur operatione naturae humanae, sicut operatione sui instrument<sup>1</sup>“. Agens autem non videtur posse alio modo propria instrumenti actione uti, nisi ad

<sup>1</sup> III, Q. 19, a. 1.

actum secundum instrumentum traducendo, idque apud philosophos invaluit consuetudo appellandi verbo „applicare“.

63. Propriae instrumenti actioni suum convenit operatum dare. — Ut morem D. Thomae sequamur, id quod ab agente aliquo fit, operatum etiam nominamus. Principium autem propositum sic confirmatur: quod suam formam et actionem propriam habet, necesse est conficiat quoque operatum ipsi cum alio nullo commune, quia forma et actio ad effectum referuntur. Atqui instrumentum, ut paullo ante diximus, et forma actioneque sibi praecipua est instructum. Ergo ei nec suum ac proprium deest operatum. Quod quidem principium in doctrina S. Thomae plurimum valet; in eo enim S. Doctor fundamentum trium quaestionum ponit. Prima est summi momenti ac de fide, duplex nimirum actio in Christo cum divina tum humana<sup>1</sup>. In altera autem docet nullam creaturam posse instrumentaliter in rerum creatione agere<sup>2</sup>. Tertia denique disquisitio est ignis purgatorii<sup>3</sup>.

64. De collatione proprii operati instrumenti cum effectu principalis agentis. — Si operatum instrumenti cum agentis effectu comparemus, continuo elucebit ambo non esse unum et idem. Idque Thomas Aquinas clare significat, cum ad hoc principium revocat duplicem Christi actionem. „Aliud est proprium operatum operationis divinae, et operationis humanae in Christo, sicut operatum proprium divinae operationis est sanatio leprosi; operatum autem proprium humanae naturae est eius contactus<sup>4</sup>.“ Ratio quoque est ab ipso S. Thoma allata: „ubicumque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti<sup>5</sup>“; sed quia alii sunt effectus aliorum actuum, consequitur aliud esse operatum instrumenti, et aliud agentis principalis.

Deinde etiam apparet proprium instrumenti operatum esse prius effectu principalis agentis. Hanc vero quaestionem sic Doctor Angelicus tradit: „effectus respondens actioni propriae instrumenti, est prior in via generationis quam effectus respondens principali agenti . . . prius est enim sectio ligni quam forma scamni, et digestio cibi quam

<sup>1</sup> III, Q. 19, a. 1. — <sup>2</sup> I, Q. 45, a. 5; Sum. c. Gent. Lib. II, c. 21. — <sup>3</sup> Suppl. III, Q. 70, a. 3. — <sup>4</sup> III, Q. 19, a. 1, ad 5. — <sup>5</sup> Ibid. in corp.

generatio carnis<sup>1</sup>. Quod a Caietano ita explanatur: „cum contest quod primum in intentione est ultimum in generatione; et quod, concurrentibus causa principali et instrumentali, simul primum in intentione est effectus secundum id quod habet ex causa principali: consequens est quod id quod habet effectus ex causa instrumentali, est praevium ei quod est ex causa principali<sup>2</sup>“.

## VI. De actione instrumentali

65. Notio instrumentalis actionis. — Haec ea est „secundum quam instrumentum operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis<sup>3</sup>“; seu quod idem valet: „quae competit ei (instrumento) secundum quod est motum a per se agente<sup>4</sup>“. Principium igitur actionis instrumentalis esse nequit aliqua forma vel virtus propria, quemadmodum est principium actionis ab instrumento suo marte effectae; sed unus motus a principali agente.

66. Necesse est instrumentum aliqua superiori indui virtute. — Instrumentum enim debet effectum agentis principalis instrumentaliter agere; sed nihil omnino moliri potest nisi praesto sit illi prius actio ad tale opus accomodata, eoque ipso etiam virtus ex qua oriatur actio. Effectus autem principalis agentis est supra vim instrumenti, actio quoque „transcendit virtutem propriae formae<sup>5</sup>“. Instrumentum igitur, ut possit agere atque effectum gignere, omnino est quadam virtute instruendum, quae maiorem habeat efficacitatem. Propterea S. Thomas, eo quod „sacramentum est instrumentalis causa gratiae“, dicit: „necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum<sup>6</sup>“.

67. Virtus instrumentalis est principalis agentis, cui etiam attribuitur. — Id sane ex his, quae diximus, perspicuum est. Sanctus Thomas vero primum quaestionis positae membrum exponit ad hunc modum: „instrumentum aliquid participat de virtute principalis

<sup>1</sup> Sum. c. Gent. Lib. II, c. 21. — <sup>2</sup> Comm. S. Th., Q. 45, a. 5. (In editione com., XV.) — <sup>3</sup> III, Q. 62, a. 1, ad 2; cf. Suppl. III, Q. 70, a. 3. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4; cf. III, Q. 19, a. 1; Comm. in IV, Sent. Dist. 1, Q. 1, a. 4. — <sup>5</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>6</sup> III, Q. 62, a. 4. —



agentis<sup>1</sup>“. „Instrumentum autem habet virtutem a principali agente<sup>2</sup>.“ Ita ut haec virtus nihil sit aliud nisi ipsa principalis agentis virtus, haerens in instrumento atque in eo habitans. Virtutem aequè inscribi agenti principali a Doctore Angelico plane sic declaratur: „virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti<sup>3</sup>“. Hinc est etiam quod „virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis<sup>4</sup>“.

68. Virtus agentis principalis contrahitur ab instrumento. — Cum virtus egreditur a principali agente, non eisdem afficitur conditionibus sicuti cum iam est recepta in instrumento. Nam in primo statu nullis terminis, praeter fines proprios formae agentis, circumscribitur; sed cum virtus iam insistit in instrumento, quod est illa inferius, eademque ratione impotens ad effectum per se gignendum, ea virtus definitur secundum naturam et modum instrumenti, a quo etiam coarctatur. Hanc autem esse S. Thomae sententiam apparet ex principio, quod latius patet: „haec virtus (instrumentalis) proportionatur instrumento<sup>5</sup>“. Et ipse Doctor hoc principium refert ad prophetarum illustrationem, quae fit ministerio angelorum, ad modum instrumenti agentium. „Cum enim lumen divinum sit simplicissimum et universalissimum in virtute, non est proportionatum ad hoc quod ab anima humana in statu viae percipiatur, nisi quodammodo contrahatur et specificetur per coniunctionem ad lumen angelicum, quod est magis contractum et humanae menti magis proportionatum<sup>6</sup>“.

69. Instrumentalis virtus sublevat instrumentum. — Id quidem ex his quae supra probavimus pro concessio est sumendum. Instrumentum enim, ut rem valeat efficere longe suis viribus praestantem, a forma superiore accipit virtutem, qua satis possit quidquam supra suam naturam facere; sed hoc profecto postulat instrumentum esse quodam modo sublevatum. Qua re S. Thomas dicit mentem prophetae, quae est Dei instrumentum sublevari: „per irradiationem ab immobili veritate elevatur mens prophetae ad hoc quod mobilia immobiliter videat<sup>7</sup>“.

<sup>1</sup> Sum. c. Gent. Lib. IV, c. 74. — <sup>2</sup> III, Q. 64, a. 2. — <sup>3</sup> III, Q. 13, a. 3. — <sup>4</sup> III, Q. 63, a. 5, ad 2. — <sup>5</sup> III, Q. 62, a. 4. — <sup>6</sup> Q. D. De Verit., Q. 12, a. 8. — <sup>7</sup> Q. D. De Verit., Q. 12, a. 6, ad 4.

70. Virtus in instrumento suscepta agit vice formae. — Etenim in agendo necesse est formam aliquam vel virtutem, ex qua fluat actio, adesse. Iam vero instrumentalis actio non manat a forma instrumenti propria, sed a virtute, quam instrumento principale largitur agens; haec itaque virtus est actionis principium. Atqui id ipsum convenit quoque vi formae. Ergo virtus instrumentalis quasi personam formae gerit. Ob eamque causam, etsi S. Thomas nunquam virtutem instrumentalem appellet nomine solius formae, tamen eam vocat formam imperfectam: „virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum . . . sicut motus in instrumento<sup>1</sup>“.

71. Natura virtutis instrumentalis in hoc est posita, quod habeat esse transiens et non completum. — Huius virtutis naturam S. Thomas sic nominat: „virtus instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum<sup>2</sup>“; sive: „est quiddam fluens et incompletum<sup>3</sup>“; sive: „virtus non habet esse completum in natura, sed est quid incompletum in genere entis<sup>4</sup>“; sive: „virtus instrumentalis . . . non est ens completum habens esse fixum in natura<sup>5</sup>“. Quibus in locis duplex proprietates virtuti instrumentali attribuitur: et esse non completum, et esse transiens ex uno in aliud. Huius autem sententiae ratio est in promptu: nam virtus seu principium actionis cuiusque rei est ipsius naturae consentaneum. Atqui tota instrumenti natura est in motu tantum agentis principalis sita; „motus vero est actus imperfectus ab agente in patiens<sup>6</sup>“. Virtus ergo instrumentalis est actus imperfectus et ab agente in patiens, seu quod est idem, virtus habet esse non completum et transiens ex uno in aliud. Facilius vero in proportionem instrumenti cum forma agentis principalis et cum motu vis huius virtutis perspici potest. Etenim agens principale, cum per se agat, propriam habet formam, et completam quidem et constantem, quippe quod principium suae actionis in propriis suis haeret venis atque visceribus, ob eamque causam forma agentis, seipsa contenta, satis potest naturaliter aliquid efficere. At longe aliter se habet principium actionis instrumenti; hoc enim

<sup>1</sup> Q. D. De Potent., Q. 6, a. 4. — <sup>2</sup> III, Q. 62, a. 4. — <sup>3</sup> III, Q. 63, a. 2. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>5</sup> Comm. in IV, Sent. Dist., Q. 1, a. 4. — <sup>6</sup> Locis mox commemoratis.

non habet radices in esse ipsius instrumenti, sed, ab alio extrinseco productum, recipitur in instrumentum, et tamen in eius medullis non insedit; qua re non est in sua potestate agere vel non. Praeterea cum motu instrumentum comparatur. Nam principium illud, quo agit, instar motus, suscipit; motus vero ex sua natura est quid non completum; habet enim actum, sed est etiam in potentia: partim igitur ex esse constat, partim autem est eiusdem expertus; proinde et est perfectione praeditus, et eadem caret, ut Aristoteles in motus definitione ostendit: motus est „actus existentis in potentia, in quantum huiusmodi, seu prout in potentia<sup>1</sup>“. Atque huic conditioni id accedit quoque motum ex uno defluere in aliud. Quocirca virtus instrumentalis etiam est in actu et in potentia, seu ex esse non completo constituitur ac non remanet in instrumento, sed per se et sua sponte est transiens. Probe igitur Ioannes a S. Thoma, „per ly permanentis et transeuntis, ait, non intelligitur parum vel multum durans in subiecto; nam neque etiam per instans potest intellectus inhaerere lapidi, aut quantitas angelo; sed intelligitur per ly transeuntis et permanentis virtus seu motio habens esse perfecte aut imperfecte, per modum tendentiae aut per modum termini, per modum intentionalis aut realis immutationis<sup>2</sup>“. Huiusmodi autem virtus intentio appellari a theologis solet, idque non est alienum a S. Thomae more, qui, de virtute instrumentali disserendo, ad verbum dicit: „et huiusmodi entia consueverunt intentiones nominari<sup>3</sup>“. Aequae de virtute instrumentali qua patrantur miracula: „intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quae intentiones vocantur<sup>4</sup>“. Vox autem intentionis videtur esse adhibita non translatione quadam, sed propria significatione, quatenus nimirum „intentio, sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere<sup>5</sup>“. Hoc pacto nomen cum doctrina a S. Thoma exposita quam constantissime congrueret: haec instrumentalis enim virtus, quam intentionem nominamus, iudicio S. Thomae, est per se transiens seu ad aliud tendens. Nec deest locus, ut opinor, in quo S. Doctor aperte id

<sup>1</sup> Cf. R. P. Ed. Hugon, loc. com. vol. II, p. 261. — <sup>2</sup> De Sacramentis in genere, Q. 62, Disp. 24, a. 1. Dubium 7: An virtus instrumentalis corporalis sit vel spiritualis. — <sup>3</sup> Comm. in IV, Sent. Dist. I, Q. 1, a. 4. — <sup>4</sup> Q. D. De Potent., Q. 6, a. 4. — <sup>5</sup> I, II, Q. 12, a. 1.

significat; postquam enim dixit in aere esse virtutem instrumentalem ad movendum visum, adiungit: „unde species coloris est in aere per modum intentionis, et non per modum entis completi, sicut est in pariete<sup>1</sup>“. Quo in loco illud per modum intentionis opponitur enti completo, in quo est virtus constans et perseverans.

72. De comparatione motus cum instrumenti virtute. — Secundum S. Thomae sententiam, eo quod „unumquodque agit in quantum est ens actu, consequens est unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere<sup>2</sup>“; agere igitur instrumenti sic est constitutum, ut cum esse ipsius congruat. Hinc esse et agere instrumenti sunt maxime apta et cohaerentia; idque magis apparet si perspiciatur utrumque idem habere principium. Ex quibus consequitur actionem instrumenti virtutemque qua agit vel maxime ad suum esse seu naturam convenire. Porro tota instrumenti natura in hoc est posita: moveri a principali agente<sup>3</sup>; itaque virtutem qua agit instrumentum oportet convenire ad motum principalis agentis. Propterea S. Thomas dicit: „haec enim est ratio instrumenti, in quantum est instrumentum, ut moveat motum; unde, sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet motus, quo movetur a principali agente, ad instrumentum<sup>4</sup>“.

Utrum vero virtus et motus sint idem, an quaedam sit inter eos distinctis, quaestio est. Iudicio autem P. Ed. Hugon, „differentia est minimi momenti, et ad modum loquendi potius reducitur<sup>5</sup>“. Pauca tamen, ut clare natura virtutis instrumentalis appareat, sunt dicenda. Duplex est distinctio: cogitationis et rei. Prima existit dummodo novus adsit modus rem considerandi; altera vero cum quidquid aliud in re ipsa omnino ponitur. Perspicuum est autem virtutem a motu cogitatione differre; aliud est enim cogitatione virtus, et aliud motus. Attamen inter eos nulla rei distinctio interest. Etenim cum S. Thomas loquitur de instrumenti actione, aut motu aut virtute eam definit<sup>6</sup>. Item sic virtutem instrumentalem et motum persaepe tractat, ut nullum praebeat argumentum ex quo erui possit talis differentia virtutis et motus. Quam ob rem cum sermo sit sive de virtute instrumentali, sive de motu, hi, si disputantibus

<sup>1</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4, ad 4. — <sup>2</sup> III, Q. 77, a. 3. — <sup>3</sup> Cf. nr. 48. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4. — <sup>5</sup> Loc. com. vol. VI, p. 168. — <sup>6</sup> Cf. nr. 65.

placet, nec virtus nec motus potius sunt appellandi, quam „motus virtuosus“, ut dicit Caietanus. Ipse, postquam aliquas attulerat rationes in hanc sententiam, „et confirmantur haec omnia, ait, quia sic absque multiplicatione entium salvantur causalitates effectivae instrumentorum et dicta Auctoris<sup>1</sup>“.

73. Virtus instrumentalis revocatur ad genus agentis principalis. — Illud omne quod de re aliqua dici potest, Aristoteles decem generibus constrinxit, hisque categoriarum nomen imposuit; quae nostra aetate praedicamentorum vocabulo etiam nuncupantur. Huiusmodi sunt substantia et accidens, quod in novem species distribuitur: quantitas, relatio, qualitas, et caetera. Nunc vero quaerimus cuinam illarum categoriarum subiiciatur virtus instrumentalis<sup>2</sup>. Ad quam quaestionem respondendum est in nulla eam ex sese poni, sed ad speciem referri principalis agentis. Oportet enim instrumentali virtuti ea totidem asciscere quot motui. Atque hic nullo in genere existit, quia caret illa conditione necessaria ut quid habeatur in praedicamentorum numero, quod sit nimirum ens completum, eoque ipso categoriae subiungitur superioris moventis. Ergo virtus quoque instrumentalis vi sua non est in ullo praedicamento, accedit tamen ad principalis agentis genus. Haec sunt S. Thomae, qui ait: „sicut motus eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem, ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae<sup>3</sup>“. Cum vero disserit de characterе sacramentali, hoc principium adhibet, ut characterem revocet ad speciem qualitatis<sup>4</sup>.

74. Instrumentalis virtus rem, in quam influit, attingere debet. — Sanctus Thomas, loquendo de resurrectione nostra, cuius resurrectio Christi est causa efficiens instrumentalis, sibi ipsi ad hunc modum obiicit: „similiter non est causa effectiva, quia causa efficiens non agit nisi per contactum, vel spiritualem vel corporalem“. Respondit autem sic: „resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare; quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora: et talis contactus virtualis sufficit

<sup>1</sup> Comm. in S. Th. III, Q. 62, a. 4. (Ed. Leon. XIII, III.) —

<sup>2</sup> Conf. P. Ed. Hugon, loc. com. vol. I, p. 71. — <sup>3</sup> III, Q. 62, a. 4. —

<sup>4</sup> III, Q. 63, a. 2.

ad rationem huius efficientiae<sup>14</sup>. Itaque secundum D. Thomae sententiam, necesse est virtutem instrumentalem illud tangere quod tractat; iam nunc haec norma satis servatur cum virtualiter saltem altera alterum contingit.

75. Quando instrumentum accipit virtutem instrumentalem? — Diximus iam ante instrumentum duobus modis adipisci virtutem: cum formam videlicet instrumenti obtinet, deinde quando movetur a principali agente<sup>2</sup>. Omissa autem prima acquirendi specie, indagare debemus quo tempore instrumentum illam virtutem recipit, qua omnibus suis numeris atque partibus expletur. Dicimus autem id fieri simul atque motione instruitur principalis agentis. Etenim S. Thomas, „instrumentum, ait, in quantum movetur ab agente, consequitur quamdam intentionalem virtutem per influxum agentis<sup>34</sup>. Item: „virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali<sup>44</sup>.

76. Quantum huiusmodi virtus durat? — Cum loquebamur de agentis principalis motu, hunc defendimus tantum temporis manere quantum agens instrumentale ad effectum perficiendum postulare, sin actione instrumentum omnino orbaretur<sup>5</sup>. Ex hoc igitur plane apparet non inesse motum virtuosum in quovis instrumento, nisi agens principale constanter ac sine ulla intermissione ei motionem largiatur. Ob eamque rem Doctor Angelicus hoc docet de formis imperfectis seu intentionalibus: „non permanent nisi per praesentiam agentis principalis<sup>64</sup>. Alio vero loco huius rei affert rationem: „nec est inconveniens ut virtus illa cesset, quia virtus illa se habet ut in fieri existens et moveri, ut dictum est; et huiusmodi cessat cessante motione moventis<sup>74</sup>. An vero longo an brevi intervallo virtus resideat instrumentalis, nihil attinet ad universam instrumenti notionem; quocirca tempus variari potest secundum naturam singularem rerum, dummodo in perpetuum adsit agens principale et virtus queat semper restare, ut in caractere sacramentali evenit<sup>8</sup>; et si agens unicum tantum temporis punctum desideret, illo solo virtus existit, sicuti est in gratia per sacramenta infusa<sup>9</sup>.

<sup>1</sup> III, Q. 56, a. 1, ad 3. — <sup>2</sup> Nr. 52. — <sup>3</sup> Q. D. De Un. Verbi Incarn., a. 5. ad 12. — <sup>4</sup> III, Q. 62, a. 4, ad 3. — <sup>5</sup> Nr. 57. — <sup>6</sup> Q. D. De Potent., Q. 6, a. 4. — <sup>7</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4, ad 10. — <sup>8</sup> III, Q. 63, a. 5. — <sup>9</sup> I, II, Q. 113, a. 7.

77. Quomodo virtus, de qua loquimur, est in pluribus instrumentis? — Sanctus Thomas eandem vim existimat esse in cunctis instrumentaliter agentibus, non tamen totam et completam in eorum singulis, sed solum in eis omnibus simul sumptis. En eius verba: „eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum<sup>1</sup>“. Sicque sententiam absolvit: „sicut virtus absoluta non est complete in quolibet congregatorum ad unam actionem, quam nullus per se perficere potest, sicut est de tractu navis, sed est in omnibus simul in quantum sunt omnes loco unius agentis, et sic virtus in eis existens suam retinet unitatem: ita etiam est de instrumentis quando unum non sufficit, et sic etiam est in aliis multis, quae exiguntur ad sacramentum: quia in omnibus est illa virtus simul acceptis complete, in singulis autem incomplete<sup>2</sup>“.

78. Actio instrumentalis est eius qui principaliter agit, atque eidem attribuitur. — Hac tenus ita nobis progressa est oratio ut principium actionis sive virtutem considerarem nulla alia ratione nisi ea qua in agente instrumentali inest. Ex se autem illa non sistit in instrumento, sed tum ad agendum, tum ad effectum dirigitur. Quam ob rem motu virtuoso agens instructum, actionem efficit instrumentalem. Quae quidem nihil differt ab actione principalis agentis, quia „operatio quae est rei solum secundum quod movetur ab alio non est alia praeter operationem moventis ipsam; sicut facere scamnum non est seorsum operatio securis ab operatione artificis<sup>3</sup>“. Idcirco „actio non attribuitur instrumento, sed principali agenti; sicut scamnum non dicitur effectus serrae, sed carpentarii<sup>4</sup>“. Hoc autem ea causa fit, quod illi actio inscribitur, cui et virtus qua quis agit. Atqui „instrumentum non agit actionem agentis principalis propria virtute, sed virtute principalis agentis<sup>5</sup>“, cui etiam tribuitur virtus<sup>6</sup>. Ergo et actionem instrumentalem assignare non instrumento, sed agenti principali oportet.

79. Operatum virtutis instrumentalis est quoque principalis agentis. — Inter omnes enim

<sup>1</sup> III, Q. 62, a. 4, ad 5. — <sup>2</sup> Comm. in IV, Sent. Dist. I, Q. 1, a. 4. (Ad 5, 2<sup>ae</sup> quaest.) — <sup>3</sup> III, Q. 19, a. 1. — <sup>4</sup> Q. D. De Verit., Q. 12, a. 8, ad 5; cf. I, II, Q. 16, a. 1. — <sup>5</sup> I, II, Q. 112, a. 1, ad 1. — <sup>6</sup> Nr. 67.

constat actioni instrumentali proprium respondere operatum. Idipsum autem esse agentis principalis ita obtineri potest: effectus est eius a quo virtus actioque nascuntur. Atqui cum virtus tum actio instrumentales a principali agente proficiscuntur, ut supra demonstratum est. Ergo ipsius est quoque operatum instrumentale.

VII. De modo quo inter se et motus actionesque instrumenti cohaereant

80. Quot sint motus. — De variis quidem instrumenti motionibus, atque de actione propria instrumentali que separatim supra disseruimus; hoc vero in tempore pervidendum est quonam pacto motus inter se connectantur, et actio propria cum instrumentali. Ut autem a motionibus exordiamur, imprimis necesse est constituere eas esse plures. Illa videlicet qua in actum secundum propria instrumenti erumpit actio. Deinde numeratur motus virtuosus instrumentalis. Tum motus confluens ad operatum instrumenti proprium; ille postremo qui ad operatum concurrit virtutis instrumentalis. Qui omnes motus profluunt ab agente principali, cuius non modo est inducere instrumentum ad operandum eique largiri virtutem; sed ipsum quoque conservare in motu, et usque eo sustentare virtutem, dum effectus perficiatur.

81. Motiones instrumenti non differunt re sed tantum cogitatione. — Positis quatuor motibus quibus ornatur instrumentum, sequitur illos non esse idem; num vero inter eos quid mentis, num ipsius rei intersit, est quaestio. Quae quidem non explanatur a S. Thoma sed ab eius discipulis, qui viam Magistri sequentes, quasdam veritates acutius perquirunt, apertiusque tradunt. Horum igitur sententia, motus, quos quaerimus, inter se cogitatione discrepant. Id vero apertum est. Nam motiones aliae alio modo definiuntur, imo, propterea quod una alteram antecedit, effectus propriae actionis praeit operi instrumentalis actus<sup>1</sup>. Itaque pulsus quo actio propria statuitur in actu secundo saltem mente ab eo distat, qui virtutem gignit instrumentalem; eademque causa distinguuntur etiam motiones, quibus illae duae superiores tenentur.

Sed motus re non differunt inter se. Agens enim principale rem aliquam non efficit sine ulla alterius interposi-

<sup>1</sup> Nr. 64.



tione, quoniam inter agens et operatum est interiectum instrumentum. Id autem ipsum non assumitur sua causa, sed actionis, qua re, si tollatur ratio viae ad operatum, natura instrumenti funditus labefactatur. Quo exposito, facile cernitur agens eo solum impellere atque corroborare instrumentum, eique adstare dum agit, ut aliquid illius opera conficiat. Omnibus ergo motibus ille qui principaliter agit unum tantum extremum vel ultimum effectum vult fieri, et non tot effectus quot sunt motiones. Ex quo consequitur agens non indigere quatuor motuum inter sese re discrepantium; id enim accideret si pulsibus singulis singula operata extrema intenderet gignere. At cum unum ultimum desideret, una eademque actione diversas motionum partes producit, quibus actio propria est in actu secundo et adest motus virtuosus, atque duplex concursus primorum impulsus conservatur. Haec omnia graviter copioseque a Ioanne a S. Thoma exponuntur<sup>1</sup>.

82. Actio propria cum instrumentali quam maxime coniungitur. — Motibus expositis, ad actiones veniendum est, quae, etsi habeant aliud motionis principium et aliud operatum, tamen, cum agunt, inter se connectuntur. Quocirca qui ita existimaret actionem instrumenti propriam se gerere, ut ea primo efficeret suum operatum, et tunc solum posse in actum exire actionem instrumentalem, non rectam haberet notitiam modi agendi instrumentorum. Sanctus Thomas enim, stabilita necessitate duarum actionum, adiungit; „licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum communiione alterius<sup>2</sup>“. Huius etiam communiionis profert rationem hoc pacto: „concurrunt autem ambae operationes ad unum operatum, secundum quod una natura agit cum communiione alterius<sup>3</sup>“. Actio itaque propria sic est cum instrumentali copulata, ut ex propriis operatis unum omnino effectum componant. Huiusmodi autem associatio operatorum ne cogitari quidem poterit, si in potestate instrumenti esset actionem instrumentalem conficere, quin propriam exercent. Quam ob rem necesse est defendere instrumentum, dum exercet instrumentaliter actionem propriam, efficere quoque instrumentalem; et contra, cum

<sup>1</sup> Cf. De Sac. in genere, Q. 62, Disp. 24, a. 1. Dubium 7: An motio sit per modum auxilii sufficientis vel efficacis, etc. — <sup>2</sup> III, Q. 19, a. 1. — <sup>3</sup> Ibid. ad 5.

hanc exequitur, illam non praetermittere. Quod sic Doctor Angelicus docet: „imo exercendo primam actionem (propriam sc.) oportet quod efficiat hanc secundam; sicut aqua lavando corpus in baptismo sanctificat animam, et serra secando lignum, producit formam domus<sup>1</sup>.“

Ut autem magis comprehendere possimus naturam copulationis actionum, de quibus disputatum est, illud oportet considerare, quod antequam instrumentum agat, debet esse particeps actus secundi ad actionem propriam eliciendam, ac sublevatum impulsisque per motum virtuosum. Iam nunc instrumentum cum dicitur sublevari, non ita sumitur ut si illud esset in potentia ac omnino expers cuiusdam motionis; nam virtuosus motus, cuius est sublevare, ad actionem instrumentalem praecipue se refert, quocirca instrumentum omnibus explet conditionibus ad illam actionem accomodatis. Requiritur ergo instrumentum, cum recipit motum virtuosum, esse iam paratum et in actu secundo propriae actionis. Inter quem et virtuosum motum nullum interest temporis intervallum, eo quod unus et idem motus agentis principalis utrumque generat. Itaque instrumentum ponitur in actu ad propriam actionem simul atque recipit motum virtuosum, eoque ipso actio propria in eodem puncto temporis quo producit, addito motu virtuoso, accipit perfectionem absolutam. Sicque instructum instrumentum agit suam propriam actionem una cum instrumentali. His igitur explicatis, melius illud percipi potest, quod supra diximus: instrumentum, exercendo propriam actionem, efficere instrumentalem; et magis apparet quam maxime sint hoc duae actiones copulatae. Quam connexionem iure comparare possumus cum communionem essentiae et esse, actus et potentiae, formae materiaeque. Idcirco Doctor Angelicus, „quandocumque autem, ait, duo concurrunt ad aliquid unum constituendum, unum eorum est ut formale respectu alterius<sup>2</sup>“. Formale vero in re praesenti aliud non est nisi actio instrumentalis; propria autem, materiale. Et hoc certe est quod S. Thomas docet; cum enim profert principium commemoratum ad ostendendam copulationem actuum humanorum, „sicut autem, inquit, in genere rerum naturalium aliquod totum componitur ex materia et forma,

<sup>1</sup> Suppl. III, Q. 70, a. 3: cf. III, Q. 62, a. 1, ad 2. — <sup>2</sup> I, II, Q. 13, a. 1.

ut homo ex anima et corpore, qui est unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium, ita etiam in actibus humanis“, etc.; finem autem tali disquisitioni ad hunc modum imponit: „sic enim et actus moventis primi formaliter se habet ad actum instrumenti<sup>1</sup>“. Ad summam ergo ita res se habet, ut actio propria et instrumentalis sint quasi materia et forma; ex quo efficitur etiam illud, quod ex earum coniunctione nascitur, non esse nec unam nec alteram ipsarum actionum, sed aliquid aliud novum, nempe actionem instrumenti propriam sublevatam. Rem illustremus exemplo: cum aliquis sanctus manu tangendo aegrotum sanaret, ille actus ita virtute divina esset imbutus, ut probe dici posset virum Dei divinitus morbo oppressum tetigisse.

83. Quid significet „dispositive operari“. — Sanctus Thomas dicit actionem propriam „dispositive operari“; eius autem ipsa verba videamus: „causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis<sup>2</sup>“. Difficile autem est cognoscere quam vim illud „dispositivi operari“ habeat. De hac vero quaestione Ioannes a S. Thoma iam ait: „circa dispositionem, quam Divus Thomas ponit in instrumento, ut agat secundum propriam formam dispositive ad effectum principalis agentis, varie torquentur Thomistae<sup>3</sup>“. Deinde tres exhibet sententias, postremo denique suam ostendit. In tanta ergo opinionum varietate, si cupimus recte pervenire ad veram S. Doctoris sententiam, magno opere tenenda sunt principia, quae supra tractavimus, quandoquidem S. Thomas, aiens „dispositive operari“, ut sit constans sibi, non potest illis decretis adversari. Quapropter tuteri debemus instrumentum habere propriam et formam et actionem operatumque sibi praecipuum, quod necesse est antecedit effectui actionis instrumentalis seu agentis principalis; id autem sic intelligere oportet ut illud huic ordine in nascendo anteponatur, non vero tempore. Actio autem propria summopere cum instrumentali consociatur et conglutinatur, unamque exercendo, instrumentum alteram efficit; sicque ambae connexae ad unum confluunt effectum communiter persequendum. Nec tamen hae actiones quodam

<sup>1</sup> I, II, Q. 17, a. 4. — <sup>2</sup> I, Q. 45, a. 5. — <sup>3</sup> De Sacr. in genere, Q. 62, Disp. 24, a. 1, Dub. 7: Gratia non est extra sphaeram instrumenti, etc.

spoliatae ordine exstant, quoniam propria actio instrumentali subiungitur, et tamquam elementum materiale habetur, formale cuius est actio instrumentalis... Operata quoque unum post alterum collocantur, siquidem proprium operatum est tamquam via vel medium, quo finis, id est, operatum instrumentale obtinetur; atque ut exemplum ponamus, secare, quod spectat ad instrumentum, est via perducens ad scāmnū, seu ad effectum agentis principalis. Haec de principiis quidem iam saepe prolatis hactenus. Quid vero nunc de illo „dispositive operari“. Hisce verbis nulla alia res indicatur nisi operatum proprium, quatenus praepositur ortu effectui agentis principalis, eiusdemque ipsius et principium, praeparatio et via. Hanc esse S. Thomae sententiam caeteroquin nemo vocabit in dubium; ipse enim id clare tradit in expositione actionis angelorum propriae, cum illi instrumentaliter prophetas illustrant. Nam lumen propheticum primo cadit in angelos, atque horum operatusque ad hominum mentem deducitur; iam nunc hac in transmissione propheticum lumen est virtus instrumentalis; propria vero, angelicum lumen; Deus autem lucem prophetiae tamquam suum operatum in hominem infundit, quae lux, ut apte recipiatur, angeli lumine suae mentis rationem humanam praeparant ac praefulciunt, quod est proprium eorum operatum. Idque Doctor Angelicus sic exponit: „ipsum ergo propheticum lumen, quo mens prophetae illustratur, a Deo originaliter procedit; sed tamen ad eius congruam susceptionem mens humana angelico lumine confortatur et quodammodo praeparatur<sup>1</sup>“. Huiusmodi igitur praeparationem et robur, ut res aliqua ad operatum conformetur agentis principalis, B. Thomas vocat „operari dispositive“. Unde etiam facile colligitur consulto Caietanum scripsisse: „nomine dispositionis intelligitur omne praeveniens<sup>2</sup>“.

### VIII. De Effectu

84. Omnis instrumenti apparatus ad effectum dirigitur. — De motibus, de actionibus ac de operatis singillatim primum supra egimus; deinde de ipsis inter se collatis; nunc autem restat tractare ultimum effectum, qui motu agentis principalis instrumentique sollertia struitur.

<sup>1</sup> Q. D. De Verit., Q. 12, a. 8. — <sup>2</sup> Comm. in S. Th., Q. 45, a. 5. (Edit. Leon., XV.)

Et primum quidem de effectu loquemur cum instrumento comparato, nam ad hunc ea omnia referuntur quibus instrumentum praemunitur. Agens enim principale, quoniam unum adipisci nititur, effectum videlicet, sic agens temperat instrumentale, ut „influentia primi perveniat ad causatum per instrumentum<sup>1</sup>“. Similiter virtus instrumentalis eo spectat ut effectum inducat<sup>2</sup>, in quem etiam ipsa transit<sup>3</sup>. Quapropter virtus instrumentique motus recte causae dicuntur formae inductae a principali agente<sup>4</sup>.

85. Effectus et huius similitudo defluentes in instrumento sistunt. — Huius ratio est in promptu. Etenim instrumentum est causa effectum generans. Atqui omnis effectus est in sua causa. Ergo etiam effectus, de quo sermo habetur, est in instrumento. Qua re S. Thomas instrumenta illa esse ait, „quibus mediantibus defluunt formae a causis principalibus in effectus<sup>5</sup>“.

Aeque similitudo effectus haeret in instrumento. Nam quia omne agens agit sibi simile, idcirco in causa inest effectus similitudo. Sed instrumentum est causa sui effectus. Huius ergo similitudo adest in instrumento. Et effectus quidem et sua similitudo defluentes tantum ad instrumentale agens adhaerescunt. Uterque enim est in causa secundum ipsius causae conditionem. Instrumentum autem hanc habet naturam, ut agat solum ope virtutis sua sponte labentis. Itaque modo effectus similitudo, tum hic ipse non manent ex sese perpetuo in instrumento, sed tantummodo per illud transeunt. Haec certe sunt a Thoma Aquinate constituta; de similitudine enim loquens, affirmat eam esse in causa quatuor diversis modis; horum vero postremum sic exponit: „quarto modo quando similitudo effectus non secundum eandem rationem, nec ut natura quaedam, nec ut quiescens, sed per modum cuiusdam defluxus est in causa; sicut similitudines effectus sunt in instrumentis, quibus mediantibus defluunt formae a causis principalibus in effectus<sup>6</sup>“.

86. Effectui est cum agente principali similitudo. — Diximus enim in instrumento esse labentem effectus similitudinem, quae in eo remanet, cum opus absolvitur; idque iure defenditur quandoquidem „omnis effectus

<sup>1</sup> Sum. c. Gent. Lib. II, c. 21. — <sup>2</sup> Cf. III, Q. 62, a. 4. — <sup>3</sup> Cf. Q. D. De Unit. Verbi incarn., a. 5, ad 12. — <sup>4</sup> Cf. Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4, ad 6. — <sup>5</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 7. — <sup>6</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 7. Cf. Comm. in IV. Sent. Dist. 1, Q. 1, a. 4. (Ad 4<sup>am</sup> quaest.,

aliquaqualiter repraesentat suam causam<sup>1</sup>. Effectus autem, de quo est quaestio, „non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis<sup>2</sup>“. Iam vero hoc eo efficitur quia „quod agit in virtute alterius non assimilatur sibi patiens sed principali agenti<sup>3</sup>“. Hinc etiam apparet quod Angelicus Doctor inquit: „effectus non proportionatur instrumento sed principali agenti<sup>4</sup>“. At quoniam instrumentum quoque reapse agit, quamquam alterius virtute, merito dici potest effectum similem esse instrumento; sed tunc, ne quis in errorem inducatur, oportet semper adiungere id non evenire nisi quatenus instrumentum agit virtute agentis principalis.

87. Proprietates, sive agentis principalis, sive instrumenti, in effectum convocantur. — Quod quidem ex his quae supra ostendimus consequitur. Non enim modo agens principale sua actione, sed instrumentum etiam peculiari modo agendi ad effectum aliquem concurrunt moliendum, itemque eorum operata inter se commixta et confusa conflataque reperiuntur in eodem effectu ultimo. Quam ob rem nihil mirum, si non solum opus, sed conditio etiam modo agentis principalis modo instrumenti in re inveniantur, in qua ipsa tanto studio elaborarunt. Et haec omnino est B. Thomae doctrina, quam enucleate tradit cum explicat animi perceptionem: „in receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatis, se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens, ut agens principale et primum; et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem alterius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibile actu, ex virtute intellectus agentis; sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum<sup>5</sup>“.

88. Effectus utrum agenti principali an instrumento attribuatur. — Effectus, ut diximus, conflatur et efficitur ex instrumenti agentisque principalis actionibus; horumque insuper operata in eodem conveniunt effectu. Non igitur sine causa quaeritur num effectus agenti principali, num instrumento sit inscribendus. Ut autem plene

<sup>1</sup> I, Q. 45, a. 7. — <sup>2</sup> III, Q. 62, a. 1. — <sup>3</sup> Sum. c. Gent. Lib. IV, c. 77. — <sup>4</sup> Comm. in IV. Sent. loc. com. (Ad 3<sup>um</sup>, 1<sup>am</sup> quaest.) — <sup>5</sup> Q. D. De Verit., Q. 10, a. 6, ad 7.

haec absolvatur quaestio, discernere oportet et effectum ultimum, et propria agentis instrumentique operata, quae in ipso exstant effectu. Ita cum de operatis separatis loquimur, tunc praeparatio atque dispositio, quod quidem est operatum instrumenti, huic assignantur; effectus autem principali agenti. Angelicus Doctor id sic testatur: „quia ultimus finis respondet primo agenti tamquam principali, ideo non principaliter agentibus non attribuitur ultimus finis, sed dispositio ad finem ultimum<sup>1</sup>“. Si vero extremus effectus tantum consideretur, tunc ipse ad agens principale est simpliciter referendus; ab eo enim virtus proficiscitur, cuius causa instrumentum molitur effectum. Qua re Thomas Aquinas „effectus, ait, principaliter attribuitur primo moventi dirigenti in finem, quam instrumentis ab eo directis<sup>2</sup>“. Sed quia virtutem agentis principalis retinet instrumentum „per modum cuiusdam defluxus“, idcirco est in nostra potestate, sive principali agenti, sive instrumento, effectum completum asciscere. Idque etiam est a S. Thoma institutum. Ait enim: „patet autem quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus<sup>3</sup>“. Quid vero illud „alius modus attribuendi“ significet, intelligi potest ex his quae Sanctus Doctor in eodem loco dicit, id nempe quod optime Ferrariensis hoc pacto indicat: „uno scilicet tamquam ex se operanti, alteri vero tamquam operanti in virtute alterius<sup>4</sup>“.

#### IX. De Fine

89. Finis includitur in ipsa notione causae principalis et instrumentalis. — Ostendimus ante effectui esse cum agente principali similitudinem. „Quod autem agens suae formae similitudinem effectibus communicet est propter aliquem finem<sup>5</sup>“. Itaque non erit inane aliquantum hunc finem pertractare. Universim autem illud esse finem dicimus, quod agens rationis particeps adipisci cupit. Vicissimque finis ad se agens trahit, eoque idem ad moliendum impulit. Huiusmodi igitur finis ita

<sup>1</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 4, ad 3. — <sup>2</sup> Sum. c. gent. Lib. III, c. 24. — <sup>3</sup> Ibid., c. 70. — <sup>4</sup> Comm. Francisci de Sylvestris Ferrariensis, Sum. c. Gent. hoc in loco. — <sup>5</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 80.

implicatur cum causa principali instrumentalique, ut huiusce notione contineatur. Id enim Thomas Aquinas satis ostendit dicens: „in moventibus autem et motis tria per ordinem inveniuntur. Nam primo finis movet agentem, agens vero principale est quod per suam formam agit; et hoc interdum agit per aliquod instrumentum<sup>1</sup>“. Idcirco finis, cum praecipue moveat agens, quod caetera deinde inducit, primo moventis locum tenet in causarum principalium et instrumentalium genere.

90. Finis differt ab effectu. — Sed cavendum est ne finem cum effectu aequemur. Hunc enim sua actione efficit agens, in cuius potestate est opus ad aliquid aliud dirigere. Atque ut exemplum proferamus, Christus quando homines ad magnam admirationem miraculis traducebat, sine dubio non exoptabat propter se portenta, sed divinae gloriae causa. Qua re, etiamsi interdum effectus sit finis quoque, plerumque tamen ad posteriorem superior refertur. Propterea S. Thomas etiam eorum alterum ab altero seiungit, ut in hoc loco: „primum ergo principium in dispositione providentiae est finis; secundum, forma agentis; tertium, ipsa dispositio ordinis effectuum<sup>2</sup>“.

91. Species effectuum existunt in agentis animo mentis compotis. — Quamquam enim effectus, ut modo diximus, non sit ipse ultimus finis, tamen quodam modo est etiam finis, propterea non est a voluntate agentis alienus; ex quo consequitur formas effectuum non esse solum in instrumentis, ut supra ostendimus<sup>3</sup>, verum in agentis ratione etiam; sin minus nihil poterit agens fingere. Quapropter Angelicus Doctor, „oportet autem, inquit, quod species eorum quae causantur et intenduntur ab intellectuali agente praeexistant in intellectu ipsius, sicut formae artificiatorum praeexistunt in intellectu artificis, et ex eis deriventur in effectus<sup>4</sup>“. Quemadmodum igitur opifex nequit ullum opus conficere nisi cogitatione similitudinem depingat rerum faciendarum, sic agens principale nihil valet agere nisi aliquod exemplar ad imitandum habeat. Quae vero sit harum specierum natura, ipse Thomas nobis tradit. De quadam enim sistendi ratione effectus in causa sic ait: „tertio modo quando similitudo effectus est in causa non

<sup>1</sup> I, Q. 18, a. 3. — <sup>2</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 80. — <sup>3</sup> Nr. 85. — <sup>4</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 24.



secundum esse naturale, sed spirituale, tamen quietum, sicut similitudines artificiatorum sunt in mente artificis; forma enim domus in aedificatore non est natura quaedam, sicut virtus calefactiva in sole, vel calor in igne; sed est quaedam intentio intelligibilis in anima quiescens<sup>1</sup>.

92. Idem est finis et agentis principalis et instrumenti. — Agens enim principale non assumit instrumentum tamquam finem, quem consequi velit, sed ut eo aliquid efficiat. Ob eamque causam S. Thomas hoc statuit: „in actione autem quae est per instrumentum, non potest esse finis aliquis in ipso instrumento nisi per accidens, inquantum instrumentum accipitur ut artificiatum et non ut instrumentum<sup>2</sup>“. At quamvis non habeatur ut finis instrumentum, tamen ipsum non caret fine, qui alius non est nisi ille qui ad agens quoque pertinet. Id enim affirmat Angelicus Doctor: „in eundem fertur finem intentio principalis agentis et instrumenti<sup>3</sup>“. Ratio vero huius sententiae haec est: „omne quod movetur ab aliquo per se, et non secundum accidens, dirigitur ab eo in finem sui motus<sup>4</sup>“. Atqui instrumentum per se incitatur ab agente principali. Ergo in huius effectum illud ducitur.

Id autem evenire in instrumento rationis experte facile conceditur; sed non idem fit cum agitur de homine, instrumento mente sagaci praedito liberaque voluntate. Attamen, praetermisso modo peculiari agendi et inanimorum et hominum, eadem est pro utroque doctrina. Quam confirmare volumus verbis Thomae Aquinatis: „instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus; sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti<sup>5</sup>“. Quae subiecto satis tunc suppeditatur cum instrumentum compos rationis idem conficere studet quod et agens principale. Atque hoc re vera in eodem loco B. Thomas significat hoc pacto: „ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia<sup>5</sup>“.

(Sequitur)

---

<sup>1</sup> Q. D. De Verit., Q. 27, a. 7. — <sup>2</sup> Q. D. De Potent., Q. 5, a. 5. — <sup>3</sup> Sum. c. Gent. Lib. III, c. 24. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> III, Q. 64, a. 8, ad 1.